ri, ac confortari possit. Quia hoc fuit ad bonam constitutionem talis naturæ necessarium, et natura in necessariis non deficit : at vero fundamentum maxime necessarium ad sequendam virtutem est immortalitas animæ, ejusque persuasio. Nam sicut Paulus 1, Corinth. 15, dixit : *Si in hac vita tantum operantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus* : ita diceret unusquisque, si anima tantum vivit, dum existit in corpore, non est, quod pro virtute, sed pro corporalis vitæ commoditate laboremus. Sicut de hominibus sic errantibus dicitur Sap. 2 : *Dixerunt cogitantes apud se non recte, exiguum, et cum tædio est tempus vitæ nostræ, et non est refrigerium in fine hominis, et non est, qui agnitus sit reversus ab inferis, quia ex nihilo facti sumus, et post hoc erimus tanquam non fuerimus*, etc. Unde inferius postea, *Venite ergo, et fruamur bonis, quæ sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter*, etc. Unde non sine causa dixit Augustinus, lib. 6 Confess., cap. ult. : *Disputabam cum Alipio et Nebridio de finibus bonorum et malorum, Epicurum accepturum fuisse palmam in animo meo, nisi ego credidissem post mortem restare animæ vitam, et tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit.* Quæ ratio non solum suadet animam esse natura sua immortalem, sed etiam hoc posse naturaliter cognosci, quia ad bene instituendam moralem vitam honestam necessarium est.

33. *Altera confirmatio.* — Augetur præterea hujus rationis vis, quia secundum rectam rationem naturalem animus debet corpori dominari, eique imperare, quod honestum est etiam contra propriam voluptatem, vel etiamsi cum labore et dolore corporis exequendum sit : ergo magnum signum est, esse altioris ordinis, et aliquid independens a corpore. Quam rationem indicavit Aristoteles, lib. 1 Politicor., cap. 3, et Alcinous ex Platone. Urgebit autem magis, si addamus non solum animam corpori resistere, ejusque commoda propter virtutem negligere, sed etiam corpus ipsum ejusque vitam fortiter contemnere, quando secundum rectam rationem necessarium, vel conveniens judicatur, ut multi etiam Gentiles laudabiliter egerunt. At vero difficillimum est, vel etiam impossibile videri potest, eamdem animam judicare sustinendam esse mortem pro virtute, si per mortem ipsamet anima se interituram, et in nihilum transituram esse, sibi persuadeat : ergo qui judicat moriendum esse potius, quam turpe aliquid faciendum, profecto virtute judicat per mortem corporis non interire animam, sed permanere. Et huc accedit, quod Plato etiam animadvertit, cum anima rebus corporeis occupatur, perturbari, distrahi et obscurari : cum vero a rebus corporeis abstrahitur, quiescere, illustrari et altiori modo gaudere. Ergo signum est illam esse supra corpus, et per separationem ab illo non destrui, sed quodammodo meliorari, ut liberius suas potissimas operationes exercere possit.

34. *Secunda principalis ratio moralis ex fine hominis.* — Præterea ex fine, ac beatitudine hominis gravissima ratio sumitur. Est enim homo natura sua capax alicujus ultimi finis, quem non nisi per animam, ejusque operationes assequitur, sed non consequitur illum perfecte in hac vita : ergo necesse est, ut post mortem anima vivat, et ad illum finem pervenire valeat. Major, ut certa et evidens supponitur ex his quæ in prima secundæ in principio de beatitudine tractantur : fuitque fere omnium Philosophorum communis consensus, et quasi principium per se notum. Minor etiam vel ipsa experientia nota est : tum quia hæc vita plena est miseriis et doloribus : tum quia consecuto ultimo fine satiatur animus, ac quiescit : in hac autem vita nulla est animorum satietas, sed perpetua sollicitudo et instabilitas : ergo etiam secundum rationem naturalem expectandus est alius status animæ ab his miseriis separatæ, in quo aliquod genus naturalis felicitatis obtinere possit. Et confirmari potest hæc ratio, quia homo secundum animam intellectualem, seu quatenus talis est Angelis assimilatur, licet secundum corpus, et sensus cum brutis et inferioribus rebus convenientiam habeat. Est enim quasi medium quoddam ex superiori et inferiori natura compositum : ergo homo ratione intellectualis animæ habet eumdem operandi modum, in quo inferiora superat, nimirum quatenus summum bonum contemplari, et amare potest : ergo convenit etiam cum Angelis in fine ultimo, et modo consequendi illum, saltem in anima, et per intellectualem operationem a corpore separatam, quandoquidem illi conjuncta illum assequi non potest, quia *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*, Sapient. 9.

35 *Tertia ratio D. Thomæ sumpta ex appetitu immortalitatis.* — Ultimo argumentatur D. Thomas, d. 1 p., q. 75, art 6, et in 2, distinct. 19, quæst. 1, ab appetitu immortalitatis, non solum innato, sed etiam elicito, quem solus homo inter animantia habet valde naturalem, et (ut sic dicam) quasi formalem : quia per intellectum apprehendit ipsum esse, non tantum hic et nunc, quomodo res quælibet naturaliter esse desiderat, sed etiam apprehendendo ipsum esse simpliciter, et perpetuitatem essendi, ut speciale bonum proprium ; adde etiam, ut ad suam beatitudinem necessarium : ergo tale desiderium indicat immortalitatem esse proprietatem connaturalem animæ, circa quam homo tale desiderium elicit : quia naturale desiderium non potest esse inane. Hanc vero rationem despicit Scotus, supra, dict. quæstion. 2, cui respondet Capreolus, eadem distinct. 43, quæst. 2, conclus. 1, et ad argumen. cont. illam. Sed non oportet in hoc immorari : tum quia Scoti argumenta ex modo, quo rationem proposuimus, et naturalem illum appetitum declaravimus, facile solvi possunt : tum etiam quia ratio hæc per se sumpta, non tamen est rigorosa demonstratio. Imo nec singulæ rationes propositæ, ut per se sufficientes ad demonstrandum afferuntur, præter illam speculativam, quæ a propria operatione animæ sumitur, eamque immaterialem, et consequenter etiam immortalem esse demonstrant : et alteram moralem ex retributione bonorum et malorum desumptam. Aliæ vero licet non singulæ cogant, simul collectæ multum persuadent, et priores demonstrationes juvant : quia illæ etiamsi non ita metaphysice, vel mathematice convincunt intellectum, quin protervus tergiversari possit : sunt tamen physicæ demonstrationes, quæ mentem bene institutam efficaciter persuadere possunt, ac debent. Et hoc modo dicimus veritatem hanc esse demonstrabilem.

36. *Ad primum in num.* 8.—Argumenta vero contra illam objecta in principio facile dissolvuntur. Nam in loco Eccles. 3, solum fit comparatio inter hominem et bruta animalia quoad conditiones, quæ corporis mortalitatem consequuntur. Nam, ut ibi notat Hieronymus, dixerat Ecclesiastes, cap. 2, sapientis et stulti unum esse interitum : et licet statim addiderit, non similiter illis in futurum evenire, quia longe diversa est utriusque memoria, et unus pergit ad refrigerium, alter ad pœnam : nihilominus addit in cap. 3, non solum hominis stulti et sapientis sed etiam hominis et jumentorum æquam esse conditionem, utique (ut exponit Hieronymus) secundum corporis qualitatem. Unde addit Sapiens, *Sicut moritur homo, ita et illa moriuntur.* In hoc ergo tantum ponit similitudinem, *Quia sicut mors hujus, ita mors illius.* Unde subjungit : *Sicut moritur homo, ita et illa moriuntur, similiter spirant omnia.* Quod Septuaginta verterunt, *spiritus unus omnibus*, ubi spiritus non de anima, sed de respiratione et aere, quo alimur, exponendus. Unde quod addit : *De terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur*, de corporibus necessario intelligitur : quia homo non nisi quoad corpus de terra factus est, et ideo ratione illius dictum est ei post peccatum : *De terra es, et in terram ibis*, Gen. 3. Ut autem differentiam inter animas ostendat, adjungit Sapiens Eccles., c. 3: *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendant sursum, et si spiritus jumentorum descendant seorsum?* In qua interrogatione non dubitationem, sed rei magnitudinem et difficultatem ostendit. Nam eamdem veritatem idem inferius, in capit. 12, satis constanter affirmat : ut etiam exponit Hieronymus, quem imitatus est Hugo Etherianus, lib. de Reg. Animar., capit. 4, et Salonius Viennensis, in eumdem locum : et ibidem Olympiodorus, qui aliam interpretationem adhibet, nomine jumentorum homines secundum sensum viventes intelligens, sed illa mistica est.

37. *Ad secundum ex Concilio ib.* — Ad verba Sophronii relata in sexta Synodo supra, in libro 1 de Angelis, cap. 8 et 9, responsum est animam esse immortalem beneficio Dei creantis, et conservantis illam, quod beneficium lato modo gratia interdum vocatur, ut in Prolegomenis de Gratia latius explicamus. Huic etiam gratiæ juxta præsentis materiæ capacitatem opponitur immortalitas, seu perpetuitas, quæ nullam dependentiam ab alterius voluntate libera, ejusque influxu habeat. Et sic dicitur solus Deus immortalis 1, Tim. 6. Nihilominus tamen anima licet a DEO conservante pendeat natura sua, merito etiam natura sua immortalis dicitur, tum quia per mortem, vel propriam corruptionem desinere non potest : tum etiam, quia ex nulla potentia intrinseca ad ullum desinendi modum per extrinsecam Dei potentiam annihilari possit, ut in citato loco fusius explicavi.

38. *Ad tertium ex ratione in eod. num.* 8. — Ad rationem negatur assumptum, nimirum nullum nos habere certum signum immortalitatis nostræ : quin potius affirmamus multa, et certa indicia ejusmodi immortalitatis nobis suppetere, tum in operationibus intellectus speculativi, quæ immaterialitatem animæ evi-

denter indicant, et consequenter etiam immortalitatem : tum in actibus intellectus practici, præsertim in remorsu conscientiæ, et in dictamine operandi honeste contra rebellionem corporis, et castigando illud et morti exponendo, si opus sit : tum etiam in affectibus voluntatis, quæ non quiescit nisi in Deo, et pœnam alterius vitæ naturaliter timet, et felicitatem appetit, quam in hac vita non invenit : sicut in aliis rebus similibus, quas satis expendimus. E contrario nullum est in nobis signum mortalitatis ipsius animæ. Nam quod habeat comitantem phantasiam dum intelligit solum indicat illam esse veram formam corporis, et in ea sic radicatam utramque potentiam. Nec ex eo quod sit forma corporis, inferri potest eam esse corpoream, aut mortalem, quia non repugnat spiritualem substantiam corpori, ut veram formam uniri, ut in sequentibus capitibus exponemus.

CAPUT XI.

QUID ARISTOTELES DE ANIMÆ HUMANÆ IMMATERIALITATE ET IMMORTALITATE SENSERIT.

1. *Qui putaverint errasse Aristotelem in hac quæstione.* — Quamvis ad prædictarum veritatum certitudinem non multum referat, quid de illis Aristoteles senserit, indagare, ut alias Durandus dixit : nihilominus propter ejus auctoritatem, et quia præcipuæ rationes adductæ in ejus doctrina fundantur, hacque occasione magis explicabuntur : ideo quæstionem hanc non duxi prætermittendam. In ea igitur multi ex antiquis Philosophis et Patribus, ac Theologis Aristotelem circa animæ immortalitatem errasse crediderunt. Ita de illo sensit Plutarchus, lib. 5, de Placit., cap. 1, et Alexander Aphrodinus, lib. 3, de Anima, illi in eodem errore consentiens. Refert etiam Eusebius, lib. 15, de Præparat. Evang., cap. 8, 9, 10 et 11, Atticum Plotinum et Porphyrium dicentes, Aristotelis errorem hunc in Platonis invidiam docuisse, vel saltem veritatem contrariam obscurasse, et in dubium revocasse. Justinus etiam in orat. ad Gentes, prope initium, Aristoteli absolute tribuit, quod animam, mortalem esse docuerit. Idem Theodoretus, lib. 5, curat. Græcan. et Gregorius Nyssenus, lib. 2, de Philo., c. 4 et 6, prout illum refert D. Thomas infra citandus, vel potius Nemesius, lib. de Natur. hominis, cap. 2, Nazianzenus, disp. contra Eunomium, Origenes, lib. 6, inscripto Philosophomeno, Nyssenus, lib. de Anim. Idem Æneas Gazæus in dialog. de animæ immortalit., prope initium, habenturque in tom. 8 Bibliothecæ. Ex Scholasticis idem credit Cajetanus, lib. 3, de Anima, et Pomponatus, lib. de Immortalit. animæ. Scotus vero in 4, dist. 43, q. 2, saltem putat Aristotelem fuisse ancipitem, et ex instituto sententiam suam occultasse. Idem Hervæus, quodl. 1, q. 11, et in 2, dist. 1, q. 1, Niphus de immortalit. animæ.

2. *Primum fundamentum ex variis locis ipsius Aristotelis.* — Fundamenta hujus sententiæ ex variis locis, et dictis Aristotelis, illa inter se conferendo, seu conjungendo desumuntur. Primum sumitur ex 1 et 3, de anima, et isto modo conficitur. Si intelligere est opus phantasiæ, vel non est sine phantasia, anima non est separabilis a corpore, sed intelligere, vel est opus phantasiæ, vel non est sine phantasiæ operatione : ergo anima non est separabilis a corpore, et consequenter est mortalis. Supponimus enim apud Aristotelem idem esse animam esse immortalem, quod esse separabilem a corpore, id est, esse natura sua aptam ad existendum post separationem a corpore, quod est verissimum, ut supra ostendi, quia si separata manet, amplius corrumpi non potest : ut demonstravimus. Unde e contrario idem etiam sunt esse inseparabilem a corpore, et esse mortalem animam, quia si est inseparabilis a corpore, pendet a materia in suo esse, et consequenter per separationem desinit esse : ergo est mortalis : quia per illam separationem fit mors hominis, per quam anima commoritur (ut sic dicam) si esse desinit : illa ergo duo idem sunt, et illa est phrasis, seu modus loquendi Aristotelis, ut ex omnibus locis allegandis constabit. Consequentia ergo principalis argumenti per se nota est, et formalis : utraque autem præmissa ex ejusdem Aristotelis doctrina sumpta est.

3. *Progreditur idem fundamentum.—Prima conditionalis propositio ex Aristotele. — Secunda conditionalis. — Tertia conditionalis.* — Nam in primo de Anima, text. 12, necessarium esse dicit, inquirere, an operationes, vel affectus animæ omnes sint communes, vel sit aliqua operatio animæ propria : vocat autem communem, quæ fit cum corpore : propriam vero, quæ est solius animæ : tractat enim de operationibus vitalibus, quarum principium omnino necessarium, et principale est anima, ideoque nulla talis operatio esse potest propria solius corporis, quia sine influxu animæ fieri non potest : ac propterea : *Si corpus etiam illi cooperatur, dicitur operatio communis : si autem non pendet a corpore, dicitur operatio animæ propria.* Merito ergo ait Aristoteles necessarium esse inquirere, an sit aliqua operatio propria animæ, utique ad investigandum, an sit aliqua anima incorporea, separabilis et immortalis, quia ex operatione colligi debet, qualis sit anima, quia non suppetit nobis aliud medium magis proprium ad naturam formæ investigandam, ut in duobus capitibus præcedentibus ostendimus. Et ita hoc etiam principium supponit Aristoteles, in loco citato, et lib. 2, de Generat. animal., cap. 3, et aliis locis infra referendis. Addit autem in loco allegato inter animæ opera *ipsum intelligere videri posse opus maxime proprium ejus.* Et tunc adjungit alteram conditionalem propositionem quam in majori propositione, n. 2, posuimus. *Si intelligere phantasia quædam est aut sine phantasia non est, non continget sine corpore esse :* ac proinde nec anima esse poterit sine corpore : quia ex dependentia operationis (ut dixi) dependentiam formæ colligimus : tum quia inter se proportionem servant, tum etiam quia forma non est sine operatione. Unde statim in textu 13, addit philosophus tertiam conditionalem, quod *si nulla sit operatio animæ propria, nec ipsa anima separabilis sit.* Major ergo propositio Aristotelica est. Minor autem ab eodem sumitur lib. 3, de Anima, text. 30, ubi expresse dicit animam nunquam sine phantasmate intelligere : cum ergo ad veritatem disjunctivæ una pars sufficiat, vera erit illa propositio disjunctiva, *intelligere, vel est phantasia, vel non est sine phantasia :* ergo juxta priorem conditionalem, intelligere non est operatio propria animæ : ergo anima nullam habet operationem propriam, et si qua est propria, maxime est intelligere : ergo anima est mortalis, juxta Aristotelis principia.

4. *Secundum fundamentum ex locis aliis.*— Secundo argumentor ex eodem philosopho, libro 3, de Anima, cap. 5, ubi distinguens intellectum in agentem et passivum, ait intellectum passivum esse corruptibilem : est autem intellectus passivus, seu passibilis potentia intellectiva, per quam anima rationalis intelligit : si autem hic intellectus corruptibilis est, profecto etiam anima, quia vel in re sunt idem, vel sunt ejusdem ordinis, et quia sine intellectu anima esse non potest. Unde licet de intellectu agente dicat Aristoteles ibidem esse impatibilem et æternum, videtur profecto ibi sentire non esse animæ potentiam, sed aliquam substantiam separatam, seu intelligentiam aliquam. Adde quod lib. 1, de Anima, text. 65, numerans actiones animæ, per quas movetur ipsa, et movet cor, vel aliam partem corporis, ut sunt *irasci, timere,* etc., inter eas ponit, *ratiocinari,* licet addat, *ratiocinari autem, aut hujusmodi est, aut aliud quidpiam.* Statim vero subjungit, sicut non dicitur proprie animam texere, vel ædificare, ita nec irasci, discere, vel ratiocinari, sed hominem per animam : ergo sentit illas actiones æque communes esse corpori. Tertio est locus obscurus ibi lib. 2, de Generat., cap. 3, ubi ait, non solum vegetativam, et sensitivam animam in potentia materiæ contineri, sed etiam rationalem. Unde sentit de potentia materiæ educi, et consequenter ab ea pendere et materialem, ac mortalem esse. Quarto in lib. 1, Ethicorum, c. 16, Solonis sententiam reprobat, dicentis hominem non posse in hac vita esse felicem, sed post mortem. Improbat autem hac ratione. Felicitas in operatione posita est : at post mortem nulla est operatio : ergo nec felicitas. Videtur ergo Aristoteles in illa propositione subsumpta sentire post hanc vitam nullam felicitatem superesse : ergo negat manere animam post mortem, quia si maneret, et operationis et felicitatis capax esset. Et lib. 3, Ethic., c. 6, dici post mortem nihil boni, vel mali superesse. Et 12, Metaphysicæ, c. 7, text. 39, indicat felicitatem hominis tantum esse in hac vita, et brevi tempore durare. Denique eod. 12, Metaphysicæ, c. 3, quæstionem hanc attingens indecisam eam relinquit, et lib. 1, de Anima, text. 63, et sequentibus anceps est, et sub dubio loquitur.

5. *Tertium fundamentum ex variis conjecturis.*— Ultimo addi possunt conjecturæ : una est, quia si Aristoteles cognovisset animam esse immortalem et immaterialem, credidisset utique non educi de potentia materiæ, et consequenter fieri ex nihilo per creationem : at ipse utique negat ex nihilo aliquid fieri, seu creari : ergo. Secundo, quia si animæ post mortem permanerent, nunc essent animæ infinitæ, quod est impossibile, juxta doctrinam ejusdem Aristotelis, tertio Physicorum. Sequela patet ex alio ejus principio, quod mundus, et homines ab æterno fuerunt : quia hoc posito necesse est, ut homines infiniti præcesserint, ac subinde, ut tot animæ simul nunc sint : cum Aristoteles ipse transanimationem seu transmigrationem animarum in diversa corpora non admittat. Responderi ad utrumque potest, Aristotelem cognovisse creationem æter-